



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Urbibus, Templis,  
Bibliothecis, et aliunde**

**Sweerts, Pierre François**

**Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.**

Gallica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69234](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69234)

ANGLICA.

601

totus libris ac literis dicatus, artium, Medicinæ, Iurisprudentiæ, & Theologiæ studio intentus, linguarum Romanæ, Italicæ, Gallicæ, & Germanicæ inferioris cognitione pulchrè exornatus. Ita vir iste genere clarus, legatione clarior, domi ac foris clarissimus, honore florens, labore fractus, ætate confectus, postquam Decanus huic Ecclesiæ annos 25. dies 293. præfuiisset; Londini Ianuarij 26. anno nostræ salutis 1560. piè & suaviter in Domino obdormiuit, Thoma VVottone nepote hærede relicto, qui ei hoc monumentum non honoris ergò, quo abūdauit viuus, & florescet mortuus; sed amoris causa, quem memoria colet, vt debet, sempiterna, consecrauit.

O X O N I A E.


**S**TRUXIT HVGO PRITIVS tibi clarapalatia  
IESV,

*Vt Doctor legum pectora docta daret.*

Quos versus cum vir quidam non illepidi ingenij transiens perlegisset, atque PRITII illius exactam ætatem, simul & operis vixdum inchoati magnitudinis animo expendisset, tale distichon illi disticho opposuit.

*Nondum struxit HVGO, vix fundamenta locauit:*

*Det Deus, vt possis dicere: struxit HVGO.*



GALLICA.

PARISIENSIA.

IN LVTETIAM IVL. CAE S.

SCALIGER.

FRAN-

**F**Rancigena princeps populosa Lutetia gentis,  
 Exerit immensum clara sub astracaput.  
 Hic ciuis numerum, ars precium, sapientia finem  
 Exuperant, superant thura, precesq; DEOS.  
 Audijt, obstupuitq; hospes: factusq; viator  
 Vidit: & haud oculis credidit ipse suis.

## AD CARTHUSIANOS.

Primus in hac Christi director ouilis eremo  
 Fundatorq; fui, qui tegor hoc lapide.  
 BRVNO mihi nomen, gematrix Germania, meq;  
 Ad Calabros traxit grata quies nemoris.  
 Doctor eram, praco Christi, vir notus in orbe,  
 Insuper illud erat gratia, non meritum.  
 Carnis vincla dies Octobris sexta resoluit,  
 Ossa tegit lapis hic spiritus astra petit.

IN MONASTERIO S. GERMA-  
NI PRATENS.

In cella sedeas; sanctam dedit illa quietem,  
 Teg, poli rectum, crede, docebit iter.  
 Nec Benedictina violabis dogmata norme,  
 Si tua te clausum Cellula semper habet.

## IN S. VICTORIS.

Discite mortales sortis memoranda suprema  
 Fata, quibus mors est indita, vita breuis.  
 Nobile Pontificū decus hac REGINALDVS IN VINA  
 Occubat exily contumulatus humo.  
 Parisia quondam presul celeberrimus vrbis,  
 Fatali ad superos sorte vocatus obit.

Quis-

*Quisquis ades, sic te fragilem memorare viator.  
Mors est certa, breuis gloria, vita nihil.  
Obijt anno supra M. CC. LVIII.*

IBIDEM.

*Seu confecta fuit senio, seu floruit aetas,  
Hunc tenuit quouis tempore cura triplex:  
Reddere vota Deo, scriptura incumbere sacra,  
Imbuere hanc sacra religione domum.*

IBIDEM.

MATTHIAE TOZATI.

*Occidua tandem prostratus mole senecta  
Hic recubans taceo, qui ore trilinguis eram.  
Obijt anno M. D C I.*

IBIDEM.

IN AEDE DE S. VICTORE.

*Heres peccati, natura filius ira,  
Exiliq; reus, nascitur omnis homo.  
Vnde superbit homo? cuius conceptio culpa;  
Nasci pœna; labor vita; necesse mori est.  
Vana salus hominis, vanus decor, omnia vana,  
Inter vana nihil vanius est homine:  
Dum magis alludit presentis gloria vitæ;  
Præterit, imò fugit: non fugit; imò perit.  
Post hominè vermis, post vermem fit cinis, heu heu:  
Sic redit in cinerem gloria nostra simul.  
Hic ego qui iaceo miser & miserabilis Adam,  
Vnam pro summo munere posco precem.  
Peccavi fateor, veniam peto, parce fatenti,  
Parce pater: fratres parcite: parce Deus.*

M. R. I.

M. RICHARDI DE S. VICTORE.

Nil tibi Parca ferox nocuit, qua stamina paruo  
 Tempore tracta graui rupit acerbamano.  
 Plurima namq; tui superant monumenta labori,  
 Qui tibi perpetuum sint paritura decus.  
 Segniter vt lento sceleratas mors petit ades;  
 Sic propero nimis it sub pia tecta gradu.

PETRI COMESTORIS.

PETRVS eram, quē petra tegit: dictusq; Comestor.  
 Nunc comedor, viuus docui, nec cesso docere  
 Mortuus, vt dicat, qui nē videt incineratum,  
 Quod sumus, iste fuit, erimus quandoq; quod hic est.

IN S. MATVRINI.

ROBERTI GVAGVINI HISTORICI  
 Belgæ.

Illustris Gallo nituit qui splendor in orbe,  
 Hic sua ROBERTVS mēbra GAGVINVS habet.  
 Si tanto non seua viro Libitina pepercit;  
 Quid speret docti cetera turba chori?  
 Anno 1501. 22. Maij.

IOAN. DE SACROBOSCO.

De SACROBOSCO qui cōputista IOHANNES  
 Tempora discreuit, iacet hic à tempore raptus.  
 Tempore qui sequeris, memor esto quid morieris.  
 Si miser es, plora: miserans pro me precor ora.

CVIACI.

BALDVINVS hic iacet: hoc tecum reputa, &  
 vale.

vale. Mortuis vobis, Iurisprudentiam grauis corripit sopor.

FRANC. Bald. Iurisc. Ob. anno ætat. LIII. XI.  
 Nouemb. à partu virginis 1573. Papirius Mas-  
 sonus Balduini auditor P.

---

 IN S. MARCELLI.

Hic iacet Magister PETRVS LOMBARDVS,  
 Parisiensis Episcopus, qui composuit librum sen-  
 tentiarum, glossas Psalmorum & Epistolarum. cu-  
 ius obitus dies est XIII. Kal. Augusti. mortuus est  
 anno 1164.

---

 IN TEMPLO AVE MARIA.

Hoc angusto loco tegitur augustissimum cor Se-  
 reniss. Regis Portugalliæ D. ANTONI, huius no-  
 minis I. qui paterno iure ac populi electione reg-  
 no succedens, ab eo per vim pulsus est, & in syluis  
 aliquandiu latuit: Tandem, omnibus spretis, liber-  
 tatem regni sui, & suorum, cunctis & bonis fruen-  
 dis, & malis perferendis validissimè anteposuit.  
 Secto post mortem corpore, omnia eius viscera ta-  
 bida & infecta inuenta sunt, præter cor, quod, quia  
 in manu Dei erat, ab eo incorruptū & illæsum ser-  
 uatum fuit. Obijt plenus pietate, & in summa pau-  
 pertate anno ætatis LXIV. Domini M. D. XCV.  
 XXVI. Augusti.

---

 IN FRANCISCANORVM.

*Præses eram: præses morior: post funera præses*  
*Permaneo, recti fama perire nequit.*  
*Antè loco pelli, vitæq; pericla subire,*  
*Quàm sacra mutari patria sustinui.*

29

Nil

Nil regem offendi, nil legem, nil quoque mentem,  
 Utque prius constans, integer emorior.  
 Vius meo exemplo quisquis succedis honori,  
 Mortuus & viuus tum bene & clarus eris.

NICOLAI DE LYRA THEOL. D.  
 DEFUNCTVS LOQVITVR.

Ne me ignores properans dum plurima lustras,  
 Qui sum, ex his nosces qua pede busta teris.  
 Lyra breuis vicus Normanna in gente celebris,  
 Prima mihi vita ianua forsque fuit.  
 Nulla diu mundi tenuit vesania natum,  
 Protinus euasi religione minor.  
 Vernolium admisit currentem ad sacra tyronem,  
 Et Christi docuit me domitare iugo.  
 Ut tamen ad mores legis documenta beata  
 Addita planaret simplicitatis iter,  
 Artibus ipse pijs & Christi dogmate fretus  
 Parisii excepi sacra magisterij.  
 Et mox quaque vetus, & quaque recentior affert  
 Pagina, Christicolis splendidiora dedi.  
 Littera nempe nimis qua quondam obscura iacebat,  
 Omnis per partes clara labore meo est.  
 Et quos saepe locos occidens littera tradit,  
 Hos typicè humanis actibus exhibui.  
 Extat in Hebreos firmissima condita turri  
 Nostrum opus, haud vllis comminuenda petri.  
 Insuper & nostri releguntur saepe libelli,  
 Quos in sensa Petri quatuor arte tuli.  
 Est quoque Quodlibetis non irrita gloria nostri,  
 In qua tu iustus arbiter esse potes.

*Non tulit hac vltra vitam proferre merendo  
 Omnipotens dominus, quo sumus & morimur:  
 A cruce tu cuius numeres si mille trecentos,  
 Adiungens vnà quatuor & decadas,  
 Illo me rapuit mors omnibus amula seculo,  
 Cùm micat Octobris terna vigena dies.  
 Iam quo tendis Nicholai illectus amore,  
 Quo doctore tibi lex referat apatet.*

## IN CHORO INTERIORI.

GVILIELMO FROELICH, nobili ac strenuo  
 equiti: prudenti Soloturens. ciuitatis Senatori: le-  
 gionum Hel. trib. ob eximias animi virtutes, res-  
 que preclarè gestas ciuibus vniuersæ que patriæ ac-  
 ceptiss. qui cùm xi. annos stipendijs regijs magna  
 animi alacritate militasset: ter signis collatis con-  
 fluxisset: suos veteranos magno discrimine (natio-  
 ni alioqui fortiss. infuetum) per æquor in Italiam  
 traiecisset: tandem sexagenarius, cui quiescendum  
 erat, vt eadem perpetua animi constantiâ erga  
 Francorum Reges persisteret, præfectus xxi. sig-  
 nis postremò in Gall. redijt, vbi Lutetiæ fatis con-  
 cessit. Eius ciues & cognati, (quorum è numero  
 patruelis ipsius Capitan. Guilielmus Tuggnierus,  
 cogno. Frölich, primus fuit) gratiss. pientiss. ani-  
 mis funus mortemque prosecuti: hoc monumen-  
 tum posteritati, in memoriam heroicæ virtutis,  
 mœsti ac mœrentes pos. anno M. D. LXXII. die i v.  
 mens. Decemb.

## IBIDEM.

REGINALDO DANGERNERO equiti for-  
 tiss. cùm strenuam operam in omnibus bellis Ca-  
 rolo



rolo VIII. & Ludouico XII. regibus Gallis nauasset: & ad senium vsque sanctè & prudèter, cum summa apud omnes gratia, vixisset: ex labore ad quietem, ex breui æuo ad perpetuum, cum summo tamen omnium, præsertim nobilium, mœrore erepto: Vincentius F. memor patrem æqua cum reliquis mortalibus lege natum, vt omnib. horis mori posset, memoriam, non luctu, aut ægritudine, sed pietate vt coleret, paterni beneficij ergo posuit. Obijt M. D. XXX.

## IBIDEM.

M. ANTON. GALLERATO nobili viro, Cremona patria, equitum præfecto, Mauræ ab incurforibus (dum Lugdunum Christianissimi Caroli noni Francorum regis iussu, belli commodo per expeditos equos peteret) ex insidijs trucidato, M. Ant. Martinégus de Columna, Villæ claræ Comes, sub cuius ductu tunc stipendia fecerat, amico militiq; dilecto mœrens posuit, ne maxima inter eos benevolentia memoria aboleretur. Vixit annos XXVI. Obijt tertio nonas Aprilis, anno à partu Virginis M. D. LXVIII.

## IBIDEM.

ALBERTO PIO de Sabaudia Carpensium Principi, Francisci Regis fortunam secuto, quem prudentia clarissimū reddidit, doctrina fecit immortalē, & vera pietas cælo inseruit, Hæredes mœstiss. PP. Anno M. D. XXXV. Vixit ann. LV.

DOCTORIS ALEXANDRI  
ALENSIS.

*Gloria doctorum, decus, & flos Philosophorum,*  
Auctur

*Auctor scriptorum vir ALEXANDER variorum,  
Norma modernorum, fons veri, lux aliorum,  
Inclytus Anglorum Archileuita; sed horum  
Spretor cunctorum, frater collega Minorum,  
Factus egenorum, fit primus Doctor eorum.*

Obijt anno M. CC. XLV. XII. Kal. Septemb.

R. P. GVILIELMI HICETI DOCT.

CELEBERR.

*Hic tegitur Pastor longè vigilantior Argo,  
Quem renocat plebs heu! & minor ordo gemit.  
Vox populo dulcis, doctrina, modestia, Iuris  
Diuini interpres, Theologia iacent.  
Hoc ne terra foret caelesti clarior aula,  
Est celeri ad superas nube receptus opes.  
Moritur anno M. D. XXII. D. VIII. Augusti.*

F. SIMONIS FONTANI DOCT.

AC LECT. THEOLOGIAE.

*Fons ego caelesti manans de fonte profudi,  
Quas poto è sacri gurgite fontis aquas.  
Mas sibi dum sitiens haurit fons, arceo sed sic,  
Vt redeam ad fontis prima alimenta mei.  
Lam raptus, viuo Christi me proluo fonte,  
Quo mihi, quæ fuerat, desinit esse sitis.  
Obijt XVIIII. Septemb. M. D. LVII.*

APVD TEMPLARIOS.

Habet interior Gallia longè antiquissimam familiam de Villiers Lisleadam, multis magnisque rebus gestis clariss. regum amicitijs celeberr. unde suis totiq; reip. Christianæ prodijt tantis dignis natalib. Philippus, cuius modò viator monumera-

Qq 3 cum

tum cernis, honoris virtutisque ergo positum, hunc eò sua per gradus euexerunt merita, vt concordibus omnium votis in vniuersum suum ordinem obtinens imperium, eius militiæ magister fuerit, quæ Deo Opt. Max. est & Ioanni Zachariæ sacra. cellam hanc viuens, ineffabili tetragrammati  $\Gamma\Gamma\Gamma\Gamma$  nomini, extra quod nulli salus, vir pius ac religiosus dicatam voluit.

PSALM. LXX XIX.

SUPERVENIT MANSVETVDO, ET  
RAPIEMVR.

ALIVD.

FRATER PHILIPPVS KERLEAV Trecorensis, ex Saliocanorum promontorijs, in illa spectata Celtica Gallia peninsula claris ortus maioribus, ordinum ductore patre, patruo necdum Diablinthrensi episcopo, Britannorum quondam ducum magnis de rebus apud exteros principes oratore, ex primarijs hospitalis Hierosolymitani militibus vnus, nullis non laborum iactatus, quando vixit, æstibus, dum molestiarum tandem superatis vndique fluctibus, in portu victor frui quiete cœperat temporaria, vocatus est ad æternam. Sic homines casto labore, fortuna caduca, querula vita, terras incolimus.

PSALM. XVII. HABAC. III.

PONET PEDES MEOS VT  
CERVORVM.

Vixit integer æui annos septuaginta, militauit hospitali duo de quinquaginta octo, præfuit his ædibus vbi obdormiuit in Christo decimoquarto Iulij, anno redemptionis millesimo, quingentesimo, quadragesimo sexto.

ALIVD.

## ALIVD.

FRATER ROBERTVS DAVBE, vulgo Rupe  
 martia cognominatus, in nobili ad Rhodanum  
 oppido Arelate insigni familia natus, per omnes  
 hospitalis militiæ gradus inter suos multa cum  
 laude euectus, ad magnam tandem sancti AEGIDIJ  
 præfecturam deuenit in prouincia Narbonensi.  
 demum per vniuersam Galliam promagister crea-  
 tus (honus à magno militum magistro secundus)  
 ad regem publico nomine legatus, rem sæpe ten-  
 tatam, peneque desperatam, sua prudentia perfe-  
 cit. ordini suo scilicet à priscis quondam regi-  
 bus irrogatorum priuilegiorum specialem modo  
 confirmationem, nouorumque concessionem ab  
 Henrico nunc rege consecutus, quum verò mul-  
 tis & grauibus exantlatis laboribus ad quietem  
 se temporariam pararet, vocatus est ad æternam.  
 Vixit ann. LXX. militauit ann. XL. præfuit ann.  
 IV. Obijt in legatione Lutetiæ in ædibus templi,  
 die sabbati v. Octobris, anno Christi M. D. XLIX.  
 Commilitones & amici fratres defuncto posue-  
 runt.

IN TEMPLO S. AVGVSTINI AD  
 SEQVANAM.

Sacellum ædificauit PHILIPPVS COMI-  
 TEBVS Historicus, Belga, vbi ipsius & vxoris  
 imago expressa; item, Epitaphium D. IOANNÆ  
 DE COMINIS F.

*Quingentis annis, bis septem & mille per actis  
 In lucem quartam post idus Martius ibat,  
 Octauamque parens Phœbus properabat ad horam,  
 Communia occubuit generosa à stirpe IOHANNÆ,*

*Penthebria Comitiss Britanni sponsa Renati,  
Atq; Argentoni Domino progenera Philippo,  
Chambeaę, Helena, mens hic in pace quiescat.*

*Moritur Cominæ in arce sua quam Argentonum vocant, an-  
no 1509. XVI. Kal. Sept. Inde Lutetiam delatus apud Au-  
gustinianos. Consule Encomia Belgarum Auberti Miræi.*

**DEO OPTIMO MAXIMO, & diuturnæ me-  
moriam IANI IACOBI MEMNII, multis præcla-  
ris muneribus honoribusque perfuncti, Juriscon-  
sulci antecessoris Tolozæ, proprætoris Urbani Lu-  
tetiam Parisiorum, libellorum supplicum in regia  
magistri, & regij in consilio sanctiore Consiliarij,  
liberi mœstissimi posuerunt. Natus est Rupeforti  
in Aquitania. Obijt Lutetiam Parisiorum, anno à  
virginis partu CIO. IO. LXIX. VIII. Kal. Nouēb.  
Vixit annos LXXIX. mens. v. dies XIII.**

*Æternum placida compositus pace quiescat.*

**PETRI QUIVERANI EPISCOPI  
SECENENSIS.**

*Dum iuuenilis honos, prima lanugine malas  
Vestit, & in calido pectore feruet amor,  
Me rapuit, qua cuncta rapit, mors inuida doctus:  
Hei mihi, cur vita tam brevis hora fuit?  
Cur brevis hora fuit? rerum sic voluitur ordo,  
Alternatq; suas tempus & hora vices.  
Si fera longæ tribuissent fata senectæ  
Tempora, venturis poma dedisset ager.  
Flos perijt, periere simul cum cortice fructus,  
Aridaq; ante suos poma fuere dies.  
Nemo tamen lacrimis, nec tristia funera fletu*

*Fadæa*

PARISIENSIA.

613

*Fædet: cur? voluto docta per ora virum.*

Obijt anno Domini M. D. L. xv. Kalend. Sept.  
annos natus XXI V.

IBIDEM.

Ne taillez mains industrieuses  
Des pierres pour couvrir BELLEAV,  
Luy mesme at basty son tombeau,  
Dedans ses pierres pretieuses.

REMIGII BELLAQVEI.

Poeta Laureati, qui cum pietate & cum fide, unde quinquagenariam pulcherrimè omnibusq; gratissimis vixit aetatem, extinctos cineres, Diuæ Cæcilie pijs sodalibus sollicitandos, supremi voti obseruantissimi curatoris, pridie Non. Mart. CIO. IO. LXXVII. moestissimo funere hoc in tumulo deposuerunt.

IN COLLEGIO SOCIET.

IESV.

Religionis amplificandæ studio HENRICVS III. Christianiss. Rex Franciæ atque Poloniæ, in Augustiss. IESV nomen pietatis suæ monumentum hunc primum lapidem in eius templi fundamenta coniecit, Anno Domini CIO. IO. LXXXII. D. XX. April.

IN D. MARIAE.

Paulus AEmilius Veronensis, huius Ecclesie Canonicus, qui præter eximiam vitæ sanctitatè quanta quoque doctrina præstiterit, index atque testis est historia de rebus gestis Francorum, posteris ab eodem prodita. Obijt anno Domini millesimo  
Q9 5 quia

quingentesimo vigesimo nono, die quinta mensis Iulij.

Τῷ Χριστῷ ἀπὸ πάντων σωτηρί.

dicatum

Pijs dormientium animis.

Nobili viro IOANNI VOLANTIO, quondam Neustriæ quæstori diligentissimo, regiæque aulæ à secretis fidelissimo, coniugi suo charissimo, Izabella Bruna, in certam resurrectionis spem fieri curavit 1556.

QVI LOQVITVR DORMIT.

*Vitam transegi perfunctus honoribus amplis,*

*Displicui nulli, iam tibi munde vale.*

*Nunc cinis, at viuam, iudex cum venerit equus*

*Omneis ante suum sistere iudicium.*

IOANNI VOLANTIO patri chariss. morrens filius fecit.

Obijt 1550. 13. Calend. Septembr.

LVDOVICVS GATANT, probus senator,  
*Quem nulla flexit vnquam cupiditas,*  
*Durum laborem qui respuit nunquam,*  
*Qui populo vixit magis quàm sibi,*  
*Sepultus isto iacet in sepulchro.*  
*Idem impiger lustra nouem vixit,*  
*Sed ter quinq, lustra natus decessit.*

Perpetuæ memoriæ Bernardus Fortia Senator defuncti gener posuit. Interijt die prima Octob. 1565.

## IN COEMETERIO.

## ΘΕΟΣ ΕΝ ΕΛΠΙΔΙ.

IO. COGNETII V. impr. summæ piet. ac relig. agendis in cur. pupill. vid. & paup. causis patroni clariff. & frequentiff. Radeg. item Ferrutiæ integerr. matris f. ac omnibus mulieris fortis dot. insignitę ciner. Angel. & Guill. fratres, tam sanctis parentibus Deo grati & glorij, non admodum exquisito opere hunc tum. pos. Virum vxor obiens anteuerit xvi. Cal. Febr. anno à restit. sal. M. D. XLII. cuius obitu sol. matr. totus ille Christum spirans, Christo inspirante & vltro vocante, in sacerdotum ordinem cooptatus est, non vt sacerdotiorum reditu augetetur, quæ sæpius oblata recufauit; sed vt sacræ illius victimæ iugi & perpetua oblat. Dei spiritu & gratia auctior fieret. Is quoq; vt in otio nec otiosus, nec sibi vixit, excerpta multa ex vtr. Testam. Patrumq; comment. in vnū vol. digessit: cogitans, vt dicere solebat, sacerdotum, qui instructam biblioth. non haberent, tantillo diuinarum sentent. fasce leuare inopiam. Quæ omnia ne gratiæ potius & assentat. quã veritati tributa, viator, putes, testem omn. illius temp. ordinum memoriam appellamus. Obijt Io. Cog. an. à partu Virg. M. D. XLVIII. ætat. LXXXII.

## CRAINTE EN ESPOIR.

## IACOBI CAGELLI REGIS ADVOCATI dignissimi.

*Quid tam frequentes huc amici curritis?  
A me quid expectatis hiantes amplius?  
Non sat loquuntur, clamitantq; marmora?*

N 615



*Nam quātus erat CAGELLVS hoc tumulto iacent,  
 Non possum, Apollo non potest, non deniq;  
 CAGELLVS ipse, si resurgat, dicere.  
 Quanto ingenij splendore, quanta argutia,  
 Sapientia, scientia, eloquentia.  
 Quam magno animo, quam libro, integro, probe.  
 Quot quot fuerunt, temporibus omnes suis,  
 Si non superavit, continuit certè pares.*

Hæc vix proferebat Antonius Lapiteus amicum  
 illum lugens, qui decesserat ann. à seruaicis  
 hominibus 1541. Aug. Cal. 13. Oplate illi quietem  
 perpetuam.

---

IN SVMMO TEMPLO.

*Quem cathedra decoravit honor, quē sanguis auitum,  
 Quem morum gravitas, hinc iacet ODO situs.  
 Prasulis huius erat, quod habent hæc tempora rare,  
 Mens sincera: manu munda: pudica caro.  
 Lenibus hic lenis: toga nudis: victus egenis:  
 Vita fuit iuuenis clara, probata senis.  
 Bis sexcenteno Christi quartoq; bis anno  
 Tredecimo Iulij transit ODO die.*

---

IBIDEM.

HVGONI MYETAEQ, natalium splendore, &  
 Iurisprudencia clariss. viro suo, Radegundis Molin-  
 nia, vxor pietiss. nouissimum hoc fidei pietatisq;  
 monumentū posuit, vt is ob oculos positus, liberis  
 suis primū memoriam sui refricet, deinde eb-  
 sanguineis, affinibus & amicis animam commen-  
 det: cæteros verò officij admoneat, quādo eos fors  
 eadem manet, tales in se, vbi decesserint, viuos  
 quales, dum viuerent, in mortuos fuerint, expertu-  
 ros.

ros. Obijt v. Idus Decemb. M. D. XXXIV. hicia  
familiari Myetææ gentis sepulchro conditus.

IN SS. COSMI ET DAMIANI.

Nobilissimo, pijsimo, omniq̃ue disciplinarum  
genere cumulatisimo, D. CLAUDIO ESPEN-  
CAEO, Theologorum huius seculi facilè princi-  
pi, paterno quidem genere ex clarissima Espenceo-  
rum, materno illustri Vrsinorum familia orto, di-  
uini verbi præconi celeberrimo, pauperum patri  
benignissimo. qui cum per XLVI. annos conti-  
nuos in hac prima omnium Academia literis hu-  
manioribus, Philosophicis & diuinis operam cum  
omnium incredibili admiratione nauasset; à Rege  
Christianissimo Francisco I. Melodunum, ab Hen-  
rico II. Bononiam, à Francisco II. Aureliam, à  
Carolo IX. Possiacum, inter religionis primos  
huius augustissimi regni proceres, partim lega-  
tus, partim orator, de re Christiana sanctissime do-  
ctissimeq̃ue disceptasset; permultos in sacrosan-  
ctam scripturam commentarios edidisset; tandem  
grauissimo calculi morbo diu multumq̃; vexatus,  
cum omnium principum senatorũ, nobilium ple-  
beiorumq̃ue luctu ac desiderio obiit, anno ætatis  
LX. die v. Octob. M. D. LXXI.

Guido Gassarus Flamini<sup>9</sup> Prior sanctæ Fidis apud  
Columerios, eiusdem amanuensis, & per annos  
XVII. negotiorum gestor deuinctissimus, hanc ef-  
figiem cum suo elogio piæ domini charissimi &  
benignissimi memoriæ erigebat, & moerens pone-  
bat, Anno M. D. LXXII. die vltima Ianuar.

IN COELESTINORVM.

*Hoc tecum illustris Paris LVDOICE sepulchro  
Iuncta Valentina coniugis ossa cubant.*

*Emerit.*

Emerito Insubris tibi iura ducalia sceptri,  
 Tradita legitima premia dotis erant.  
 Subiacet & Carolo clausus cum fratre Philippus,  
 Incluta iam vestri pignora bina thori.  
 Magnus Carolo nascens Ludouicus ab alto  
 Hac posuit larga busta suprema manu.  
 Sforciadem indigna pepulit de sede tyrannum,  
 Et sua qui Siculas sub iuga misit opes.  
 Ut tantos decorata duces Aurelia iactat:  
 Gallica sic illo sceptrata tenente tument.

Quis tumulum posuit? regum Rex maximus ille  
 Filius, & regum rex LVDOVICVS honor.  
 Quando? post Ligurem, Insubrem, Siculumq; triumphum,  
 Post captos reges, Sforciadasq; duces. (phum,  
 Quis iacet hic? magni heroës LVDOVICVS & vxor  
 Alma Valentina, regia progenies.  
 Aurelii proceres, Carolus cum fratre Philippo.  
 Ille avus, illa auia est: hic pater, hic patruus.  
 Qui genus? à Francis. studium quod? regna tueri,  
 Bellaq; sanguinea sollicitare manu.  
 Quæ mulier? Ducis Insubris pulcherrima prole  
 Ius Mediolani sceptraq; dote dedit.  
 Vinere debuerant, propter facta incluta, semper?  
 Debuerant: sed mors impia, cuncta rapit.  
 Hos ergo rapuit proceres? non, corpora tantum.  
 Semper erunt anima, gloria semper erit.  
 Ludouicus Rex XII. quieti perpetuë, & memo-  
 riæ perenni, illustrissimorum Principum Ludouici  
 aui, Valentinae auia, Caroli patris, piissimorum  
 pientissimorumque parentum, ac Philippi patris.  
 Feliciter M. D. III.

IBIDEM IN SACELLO DVCVM AVRE-  
lianensium.

*Adsta viator, non leue est precium mora.*  
*Hic grande paruo cor duplex iacet loco,*  
*Regis Ducisq;, Regis Henrici Ducis*  
*Mommorancij Anna. per gradus qui singulos*  
*Ad militaris ordinis fastigium*  
*Peruenit, & res maximas sub maximis*  
*Domi forisq;, Regibus gessit tribus,*  
*Francisco & Henrico, ultimoq;, Carolo.*  
*Sed precipua quo singularis & fides*  
*Inter Ducemq;, Regem ac Henricum fores*  
*Testata; corda iussit amborum simul*  
*Rex ipse poni pignus haud dubitabile,*  
*Quod iuncta eorum vita perpetud fuit,*  
*Hic iuncta quorum mors habet vitalia.*

## DE EODEM GALLICE IBIDEM.

*Cy dessous gist vn coeur plein de vaillance,*  
*Vn coeur d'honneur, vn coeur qui tout scauoit,*  
*Coeur de vertu, qui mille coeurs auoit.*  
*Coeur de trois Roys, & de toute la Franco:*  
*Cy gist ce coeur, qui fut nostre assurance.*  
*Coeur qui le coeur de iustice scauoit,*  
*Coeur qui le ciel honnora des' enfance.*  
*Coeur non iamais ny trophaut ny remis,*  
*Le coeur des siens, l'effroy des ennemis.*  
*Coeur qui fut coeur du Roy Henry son maiste.*  
*Roy qui vouluit qu'vn sepulcre commun*  
*Les enfermast apres leus mort, pour estre,*  
*Comme en viuant, deulx mesmes coeur en vn.*

## IBIDEM.

Quem tot magnificis celebrem Bellona triumphu  
 Reddidit Heroem Mauorte & Marte talentem:  
 Quem tot virtutum titulis, senioq, verendam,  
 Mente fideq, etiam dederat fors prouida seclis:  
 Quem tot bellorum casus, tot signa trophæis  
 Ampla, tot exstructis spolijs hostilibus arcus,  
 Tot currus, aquila, monumentaq, maxima rerum  
 Victorem referunt extremos solis ad ortus.  
 Quem ceu Scipiadem Reges timuere Ducesq,  
 Dum patriæ multos peperit cum laude triumphos:  
 Quem ceu Pompeium demissis constat ab armis  
 Ciuilem petuisse togam, potiora quietis  
 Armis donatum, portum spirantibus vndis.  
 Non cedens fato appensis ad carbasa remis.  
 Annas magnanimus Dux Momorancius heros  
 Occubuit, dum persequitur Regisq, Deumq,  
 Hostes, Parisia constructoq, agmine tentant  
 Urbis pinnatos furibundi inuadere muros.  
 Sic pro Rege, fide, sic dum pro legibus arma  
 Ferre parat patrijs, libertatemq, tueri;  
 Consilio senioq, grauis Dux occidit, astris  
 Spiritus infertur, Paris sub marmore corpus  
 Conditur exculto sacratum nobile busto.  
 Pixide sceptrigeros queis deseruiuit in armis  
 Henricum natumq, Duces, splendentia regna,  
 Lilia Franzorum generoso corde secutus,  
 Quorum corda sacris bustis auroq, sepulta  
 Exsuperans, tumulata suis amplectitur vlnis  
 Celestina domus, turritam pignore Memphim.

Ergo sit inuictus Gallus, sic transeat hospes,  
 Regibus aeterno cor iunctum fœdere Franci,  
 Longauiq; Ducis resoluta corpore mentem  
 AEthereos adijisse lares, nomenq; perenne  
 Oceanum Boreamq; suis mandasse triumphis.  
 IN PACE REQVIES.

## IN PEDE COLVMNAE.

Cor iunctum amborum longum testantur amorem  
 Ante homines, iunctus spiritus ante Deum.

## HENRICI II. CORDI S.

Pyramidos huius si quis mysteria gliscit  
 Nosse, sub ista suo cor pede Regis habet.  
 Virgineos habet triplici sub imagine vultus,  
 Ac Charites trinas signat imago triplex.  
 Prima fidem proprie signat, spem ritè secunda,  
 Tertia dilectam denotat esse Charin.  
 Quas rex Henricus miro possedit amore,  
 Has veluti sponsas notus habebat amans;  
 Firma Fides Regis, Spes certa, Charisq; perennis,  
 Nullis temporibus deseruisse virum.  
 Hinc fit vt admixtas cernamus iungere dextras,  
 Quod nusquam fuerit Rex pius absq; tribus.  
 Iure manus igitur coniunctas semper habentes  
 Absq; tribus scandit nullus ad astra, docent.  
 Carminis istius lectorem quemq; monebo,  
 Hoc Regina suum cor cupit esse loco,  
 Dum vita Lachesis praesentes finiet annos,  
 Et fuerit propria morte secuta virum;  
 Vt quorum fuerit cor vnum, atq; vna voluntas,  
 Et Dum

*Dum simul amborum mutua vita foret,  
 Corporibusq; suis vnum viuendo cubile  
 Vt fuit, vt vitæ spiritus vnus erat:  
 Sic quoq; mors p̄operans minime diuisit vtrumq;  
 Vt fuit, illorum sic erit vnus amor.  
 Istius ergo rei sit Pyramis optima testis,  
 Quæ simul amborum corda ligata tenet.*

## DISTICHON.

*Hic sua rex, regina simul statuere reponi  
 Corda, locus veri pignus amoris erit.*

## IN S. IACOBI.

D. IMMORT. OPT. MAX. ET CHRIS-  
 TO Iesu hominum saluatori  
 sacrum.

IOANNI FERNELIO Ambiauenſi Henrici II.  
 Galliarum Regis Conſiliario, & primo medico  
 nobiliſſimo atque optimo, reconditarum & peni-  
 tus abditarum rerum ſcrutatori & explicatori  
 ſubtiliſſimo, multorum ſalutarium medicamen-  
 torum inuentori, veræ germanæque medicinæ re-  
 ſtitutori: ſummo ingenio, exquisitaque doctrina  
 mathematico, omni in genere Philoſophiæ cla-  
 ro, omnibusque ingenuis artibus inſtructo, tem-  
 peratiſſimis ſanctiſſimiſque moribus prædico, ſo-  
 cero ſuo pientiſſimo, Philibertus Bercotius ſup-  
 plicum libellorum in regia magiſter, magnique  
 regis CONſILII præſes, affinitate gener. p̄icate  
 filius, m̄rens poſuit, anno à ſalute mortalibus re-  
 ſtituta M. D. LVIII. Obijt XXVI. April. an. M. D.  
 LVIII. Vixit an. LII.

STEPHANVS GOVARDI AB AMERON-  
GEN VLTRAIECTENSI, IOAN. P.  
mœstus posuit.

*Quisquis ad hoc venies nō grandi atate sepulchrum,*

*Disce; malo poteris doctior esse meo.*

*Forma nemo sua confidat, nemo iuuenta.*

*Lanificas nequeunt ista mouere DEAS.*

*Nec iuuat immensis dedicisse laboribus artes,*

*Mors etiam doctis inijcit atra manus.*

*Mī nihil illorum facilis natura negarat,*

*Et tamen obscuras cogor inire vias.*

*Securus miser exitij, ignarusq; futuri,*

*Viue memor leti: mors inopina venit.*

*Obijt Lutetiæ, ann. ætatis XXIV. XIX.*

*Nouemb. ann. M. D. LX.*

IN S. OPPORTVNI.

FRANCISCI CONNANI.

*Vxor mœsta sui dum cernit busta mariti,*

*Tunc ternos amplexa, gemens, in funere, natos,*

*Quid me linqvis, ait, miseroq; dolore sepultam*

*Deseris o coniunx? Ab si nunc cara iugalis*

*Te tenet vlla thori; lacrymis gemituq; tuorum*

*Flecteris, hanc animā, queso, rape, namq; perempto*

*Te superesse piget, nulla fruar antè quiete,*

*Quam mihi fatales dissoluant stamina Parca.*

*Iamq; dolore amens tabesco, & tempora a vita*

*Longa mea nec erunt: primisq; extinguar in annis.*

*Mors mihi grata foret, positura morte labores.*

*Et nos vna duos tandem teget vrna: meusq;*

*Spiritus aeterno tecum potietur amore.*

Rr 2

AD



## AD DOMINICANOS.

*Hic situs in parua IANVS PASSERTIVS vrna  
Ausonij Doctor Regius eloquij.*

*Discipuli memores, tumulo date ferta magistri,  
Vt vario florum munere vernet humus.*

*Hoc culta officio mea molliter ossa quiescent,  
Sint modò carminibus non onerata malis.*

VENI, ABII; SIC VOS VENISTIS,  
ABIBITIS OMNES.

## ALIUD.

*Miseri beatus portus hic est corporis,  
Commune rectum, turbida vita quies,  
Nemo vnde aberrat, cæca sit licet via,  
Egreditur vnde nullus, ingressus semel  
Necessitatis lege: sed potentior  
Hinc Christus inuictum viuis extulit pedem,  
Ad astra functis liberum pandens iter;  
Hac habito tandem clausus aterna domo,  
Vbi opes auari condita Ditis iacent.  
Qui sim viator, quæris? ipse nescio:  
Qui sis futurus, tu tamen per me scies:  
Ego, tuq; puluis, vmbra, & vmbra somnium.*

IOAN. IAC. MEMMIUS, FRR. F. IOAN.  
IAC. N. SUPPL. LIBELL. IN REG. MAG.  
DISCIPVLVS PRÆCEPTORI CHARIS.  
HOC MON. DE SVO FACIEND. CVRAVIT.  
OBIIT XVIII. Kal. Octob.  
DIE S. CRVCIS, CIO, IO. CII.

## IN S. SEVERINI.

REVERTATUR PVLVIS IN TERRAM  
SVAM, & SPIRITVS AD DEVM,  
QVI FECIT ILLVM.

Expecto donec veniat immutatio mea.

Dulciff. coniugi, matrique pientiff. **MARIAE**  
**CYRTINAE POMPONIAE**, in medio ætatis flo-  
re à mustopartu ad mœstum suis portum ereptæ.  
cuius cineres sex filijs sub hoc famil. tumulto, ma-  
ribus 4. feminis 2. obuoluuntur, chariff. marit. **Pet.**  
**Crassinus Ablonius Sena. Paris.** ac curta supellex  
tenelli duo liberi, maternæ relliquiæ mas & fœ-  
mina superstites tâtisper, dum hic in spe fata sum-  
missi opperiuntur. piet. & hon. ergo posuere. **O-**  
**bijt 4. Cal. Septemb. anno 1550. ætatis 20.**

Tu precare viator his quietem.

Bonum est in silentio præstolari salutare Dei.

## IBIDEM.

Nobilitate generis Comitum Orientalis Phri-  
fiæ & animi corporisq; dotibus præclaro **Dn. EN-**  
**NONI de EMBDA**, ciuitatis Embdensis Præposi-  
sito ac electo Satrapæ, propter certam huius cor-  
poris resurrecturi spem, ac in amoris sinceri testi-  
monium, auia materq; pia vnico suo filio, qui hîc  
ex studiorum cursu, patriæ ac amicis omnib. ma-  
gno cum luctu, anno ætatis suæ **XXIII.** morte præ-  
reptus est, hoc monumentum statuerunt. Anno  
Domini 1545. 18. Iulij.

**IOAN. RAYSII PATRICII FRAN-**  
**COVRTENSIS AD MOENVM.**

*Heu nimiū prope a præreptus morte IOANNES*

Rr 3

RAT-

RATIVS hoc tumulo conditur exanimis.  
 Germanus patriâ, Rheni prognatus ab oris,  
 Francforti patrio stemmate clarus erat.  
 Non laus ingenij, non virtus defuit illi,  
 Non constans vera religionis amor.  
 Et iam spes patria non parua, sed vltima stirpis,  
 Nî cita venisset mors, erat ille sua.  
 Ergo bonos tu quisquis amas, hunc plange viator:  
 Et velut ille opta te benè posse mori.

I. R.

Obijt anno salutis M. D. L. die III. August.  
 ætatis verò suæ 20.

## IN S. ANDREAE.

Vxor cara sui condit dum mœsta sepulcrum  
 Coniugis, & cineri persoluit iussa recenti,  
 Bis senos complexa gemens in funere natos:  
 Nostri, ait, ô coniunx, qui nunc dulcissima amoris  
 Pignora discessu linquis, si cura iugalis  
 Te tenet vlla tori, lacrymis luctuq; tuorum  
 Flecteris; hanc tecum, ô tecû rape. namq; perempto  
 Te vitam moror inuisam, & nunc ipsa perenni  
 Exsternata malo placida iam morte quiescam.

D. O. M.

CHRISTOPHORO THVANO August. F. Iac.  
 N. Equiti, qui omnibus togæ muneribus, summa  
 cum eruditionis, integritatis, prudētix laude per-  
 functus, ampliffimosq; honores sub Franc. I. Henr.  
 II. Kar. IX. Henr. III. Christianiss. Regibus con-  
 secutus, Senatus Paris. Præses, dein Princeps, sacri  
 Consistorij Consiliarius, mox Hen. tunc Aarel. ac  
 demum

demum Franc. Andeg. Cancellarius; tandem, cum de iudiciario ordine emendando, quaestura, regno fraudibus ac rapinis vindicando, & scholarum disciplina restituenda cogitaret, nulla inclinatae aetatis incommoda antea expertus, ex improvisa febris decessit, vxor liberiq; moer. P.P.

Vixit ann. LXXIV. D. V. Obijt anno salut. CIO. IO. XXCII. Kal. Nouemb.

---

 POSTERITATI.

ANNAE THVANAE feminae clariss. atque letiss. cor & viscera heic iuxta tumulum CHRISTOPHORI THVANI patris, cuius illa viri viua cor fuit, PHIL. HVRAITVS Franciae Cancellarius, hoc, quod postremo officio pijs opt. Soceri manibus parentans, condidit, reliquum corporis B. M. coniugis in monumentum maiorum suorum in arce Ceuernia nuper abs se instauratum, inferri cur. vt qua cum ann. P. M. XVIII. coniunctissimè vixit, ab ea nec morte diuellatur. Obijt XVI. Kal. August. an. sal. CIO. IO. XXCIV.

MENS SANA IN CORPORE SANO.

---

 IBIDEM.

PETRVS SEGVIERIVS AN. DOM. M. D. LXXX. Octob. XXV. Hora secunda, à media nocte mortalitatem expleuit, magno moerore assidentis coniugis & circumiacentium liberorum. Longa illi aetas, annum sextum & septuagesimum excessit in altissima tranquillitate, pari veneratione honores multi, cuius egregius, fortissimus aduocatus, iudex rectissimus; Vidit illu Senatus Praesidem, anti- quis illis (nihil est de modestissimo viro dicendum elatius) parem: fortuitoru magna copia, vxor opt. liberi pientissimi, opes speciosa, firma valetudo,

Rr 4      secun-

secunda fama, & si quæ alia felicibus adstruit casus, non denegauit; Sed hæc circa illum, non in ipso fuere. Non est quod ex his, quibus sine molestia carere potuit, felicem illum iudices; felicem crede, felicem pronuncia, amplectere, admirare, cui magnus, sacer, æqualis animus, hærens origini suæ; qui per humanos casus recta semper incessit via: qui vitam cõsummauit ante mortem, & expectauit securus reliquam tẽporis sui partem; qui vidit, credidit, sperauit satietatem lætitiarũ, delectationes in dextera; qui videt nunc, qui fruitur, qui amplectitur totus in illis. vos ò propinquus sanguis, vxor, liberi, & si quos fidelis iunxit amicitia, parcite muliebrib. lamentis, vobiscũ est, quicquid ex illo amastis, quicquid mirati estis, manet, mansurumq; est in animis hominũ, in æternitate temporum, fama rerũ: dolor ille vester, vestra illæ lacrumæ, inuidentiũ sunt magis, quã amantiũ, num quẽ ad coronã magno cum anhelitu currentem vidistis, coronatum ingemiscitis? parcite, cessate, & animos vestros doloris opinione magis, quã dolore vlllo consternatos, spe eius gloriæ, ad quam feliciter raptus est, erigite: nec longa mora, nulla dilatio est. ecce dum colligitis vos, æuum componitis, aderit immortalitas.

SACR. DEF. MEMOR. VXOR ET LIBERI  
MOERENT. POSS.

Anima eius in bonis demoretur; caro eius requiescat in spe A.S.P.P.P. vnus ex liber. exarauit. Vixit ann. LXXVI. M. II. in matrimonio 48. ann. M. III. Obijt VIII. Kalen. Nouembr. Anno Domini M. D.

LXXX.

## IN S. CATHARINAE.

*Quid tibi opus statuâ? satis est, statuisse. BIRAGE,  
Virtutis passim tot monumenta tua.*

RENATO BIRAGO Patricio Mediolan. multis & summis dignitt. functo, tum Franciæ Cancellario, ac demum S. R. E. Card. FRANCISCÆ F. vnica & CAES. BIRAG. Agnat. mœstiss. non memoriæ, sed desiderij perp. monum.

H. P. C.

Vixit ann. LXXVII. M. IX. D. XXVI. Obijt  
VIII. Kalend. Decemb. M. D. LXXXIII.

## IBIDEM.

*Verus amor, qualis castos est inter amantes,  
Qui subiere duo connubiale iugum,  
Non vnquam moritur, prius hoc moriente, vel illa,  
Simplice sed tumulo cor stat vtrumque duplex.  
Namque ego qua duxi FRANCISCA BIRAGA  
maritum*

VALLAEVM IOANNEM fida, superstes, amās:  
Eius in hoc loculo posui cor, donec eodem  
Cor quoque ponatur post mea fata meum.  
Filia & amborum iacet hic sita MARGARIS, vt sic  
Amborum fidi fœderis ipsa fides.  
Obijt XII. Kalend. Octob. M. D. LXXVIII.

## IN D. PAULI.

FRANCISCI MAUGERONI CL. ET  
generosiss. adol.

Ante tempus decidit flos: & præmatura mors  
spem patriæ, principis, & parentum fefellit.  
in expugnatione Iloriæ,

Rr s pro

pro religione & patria dimicans:  
annos natus XVI. oculam perdidit.

Amico vitam dedit.

Monumentum hoc corpus, coelum animam,

Posteritas facti memoriam seruat.

Obijt anno M. D. LXXVIII. V. Kalend. Maij,

ætat. XVIII.

MAUGERONIS in hoc sūt ossa reposita sepulcro,

Cui virtus annos contigit ante suos.

Octo namq; decem natus non pluribus, annos,

Alter erat cocles, Hannibal alter erat.

Testis erit tanta iuuenili Issoria capta

Virtuti, testis perditus hic oculus.

PAVLI DE CAVSSA COM.

SAMEGRINI.

Nil virtus, nil genus, nil opes, nil vires profunt.  
His omnib. & fauore pollens, iacet, victus fraude,

& multorum viribus incautum vis obruit,

quem nec publicus inimicus domuit,

nec priuatus terruit.

Abi viator, tace, & pro mortuo ora.

Obijt 11. Kal. August. anno M. D. LXXVIII.

Ætat. XXIV.

Tu quoq; SAMEGRINE iaces hoc marmore te-

Vni cui non vis vnica par fuerat? (cū,

Obrueris numero victus, non viribus aequis,

Cui totas acies ducere ludus erat.

Cū tua non posset virtus virtute domari,

Virtutis subijt fraus inimica locum.

IACOBI DE LEVI CL. FAMILIAE

& summæ virtutis Adol.

Quid

Quid marmor, aras, & artes suspicis  
dignus fuit hoc honore

QV A E S L E V S, ingenio præstans, moribus  
facilis, ad spectu

Gratus: cui artes erant, virtutē colere, Deo, Patriæ,  
& Principi seruire: non iniuriā, sed mortē patienter  
Tulit. grati animi est hoc monumentum.

Obijt IV. Kal. Iunij an. M. D. LXXV III.

Ætat. XXIV.

QV A E S L E V S iacet hic, Martis certissima proles  
Martia, si Parca tempus ad arma darent.

Quantum vi inuidius, tam mente & moribus æquus.  
Felix, si felix non nimis ille foret.

Inuidiam peperit virtus maturior annis,

Cæsus at inuidia viuit in inuidiam.

IN S. GERMANI.

ANNÆ THVANÆ, quæ sanctitate morum,  
matronali decore, præclara pudicitia & felici fecunditate viro probata, in ipso ætatis flore, quod mortale fuit, reliquit; vt quod immortale est, cōsequeretur. PHILIPPVS HVRALTVS CHEVERNIVS post iusta funebria, & corpus maiorū sepulcro ritē inlatum, in sacro hoc secessu, quo illa frequēs Dei cultrix adire solita fuit, hūc quoq; tumulum pos. suis communibus liberis, maternę pietatis & religionis documentum ac monumentum.

Æternæ memoriæ vxoris incomparabilis.

Vixit ann. XXXV. M. VI. D. XVII.

Obijt anno M. D. LXXXIV. D. XVII. Iulij.

IBIDEM.

INCERTAE POSITIONIS  
SYLVII MEDICI.



STLVIVS hic situs est, gratis qui nil dedit vnquam  
Mortuus, &, gratis quod legis ista, dolet.

---

LVCII FRVTERII BRVGENSIS.

Viator adsta, &, si vacat, lege paucula,  
Multa vt resciscas. Tumulus iste Gratijs,  
Nouem & sororibus sacratus, FRVTERIVM  
Tegit, illum amorem Gratiarum amabilem,  
Nouem & sororum. Brugis ipsum nobili  
Beauit ortu: Ganda facilem vim ingeni  
Dedit artibus madere liber alibus.  
Louanium, & Lutetia vsque in vltimæ  
Antiquitatis intima penetr alia  
Subire, & inde, qua viri doctissimi  
Quisque adprobarent, arte summa exprmere.  
His tam auspiciatis inity's fata impia,  
Fata impia, inquam, inuiderunt. illa iuueni  
Quintum ante lustrum fila secuere aurea.  
Quid obstupescis? an nouum, aut mirum id tibi?  
Fuit Poëta. Sic suis lumina oculis  
Reliquit olim Valerius; sic memoriã  
Nostrã secundus. taceo ceteros. abi.

---

M. M. IOANNIS STADII MATHE  
MATICI EXCELLENTISS.

Dum numeris Cælum metitur, & ignea cali  
Sidera, per que suas iam docet ire vias:  
Et quid ab antiquo deflexerit ordine, cursum  
Quã cieat varians quisque Planeta, notat:  
Ecce tibi subito lucis malè cautus oborta  
Pulvero in hoc STADIVS percitus igne iacet.

*Imò animus Calos notâ regione secutus  
Iam sua metitur sidera; Lector, abi.*

PHILIPPVS AVENELLIVS mœrens amico  
suauiff.

Obijt xv. Kalend. Quint. de media nocte, Lutetiæ  
Parisiſorum, anno Domini c 15. 15. LXXIX. In  
ſuburbio Honoratiano, domi Mareſchalli Ret-  
zij ſummo omnium bonorum doctorumque  
dolore, natus annos LII. M. II. duobus diebus  
minus.

D. M.

*Aſta Viator, ni piget, & hæc pellege,  
Dum pauca legis heic multum odorum colliges:  
RONARDVS etenim ſlos Poëtarum heic ſitu eſt.  
Quis ille fuerit, litteratus dat ſilex,  
Suoſte ſculpſit ipſe quem celo, indicans  
Sua camœnas morte dare mortalium  
Niſi nominis perennitatem nemini.  
Aſt ille amœno matris in ſinu hospite,  
Nati oſſa propria conlocauerunt manu,  
Laurusque vati vix ſuo ſuperſtites  
Panxere ſimul, hæc vt tepens foueat cinis.  
Quid ſi ſe humari & iuſſerint, grati vt fiet  
Spes nulla reditus ſaculo ingratiſſimo?*

CL. BINETVS P. RONARDO  
Poetæ incomparabili,  
effuſis totius Galliæ lacrumis  
mœrens B. M. Pos.

PETRVS RONARDVS iacet hîc: ſi cætera neſcis,  
Neſcis quid Phœbus, Muſa, Minerua, Charis.

D. IM.

## D. IMMORTALI S.

IOACHIMO BELLAIO Andegauensi, veteri & illustri familia nato, viro singulari, bonitate atque modestia optima & spectatiss. fide prædito, ingenio, literis atque doctrina præstantiss. Poetæ & Latino & Gallico doctiss. omnium laude celebrato: qui cum in incommodam valetudinem nimio litterarum studio iam diu incidisset, ex eaque multos iam annos surdaster, & tandem surdus factus esset, cum omnibus ipse ita se obsurduisse, & sibi omnes ita obmutuisse videret, vt oculis ipsi sibi audiendum, & amicis & familiaribus manu loquendum esset: cumque vel hoc ipsum ob incommodum humana hæc omnia vt fragilia & caduca vehementer despiceret, Kalend. Ianuar. hilarè admodum cœnatus, iocosa quædam scribens carmina, dum amplius cranion cerebrum continere non posset, multa humoris in fauces stillante fluxione, modico temporis intervallo, magno omnium suorum moerore suffocatur.

PETRVS PASCHALIVS & vetus & verus amicus amico incomparabili dolens POS. Non. Ianu. M. D. LX. à Christo nato. Vixit ann. XXXVII.

## D. O. M.

PETRI PITHOEI P. F. bene de sua, bene de postera ætate meriti, corpus maiorum sepulcro conditum, resurrectionem & immortalitatem hic expectat. R. I. P.

DEPO.

## DEPOSITVM EST.

KATHARINA PALLVDELLA coniux aman-  
tiff. coniugi amantiff. & Lodoica ac Maria filia  
Kariff. Patri obseruandiff.

PITHOEVVS hic iaceo, mecum & karissima coniux,

*Sia compar vita, compare morte fuor.*

*Improbe quid rides? casti sacra nescis amoris:*

*Nil non, vel cineres, hac comite esse iuuat.*

EX ALTERA PARTE.

*Sint inscripta licet titulo duo nomina, duplex*

*Vtque oculis teneat corpora Sarcophagus:*

*Vnū est idem, ac totum tamen est. nam mutua pra-*

*Dimidiumq; alij, dimidiumq; sibi. (stant,*

## INSCRIPTIO FONTIS IN VICO

S. ANTONII, ANNO 1577.

*Hanc deduxit aquā duplicem BIRAGVS in vsu,*

*Seruiat vt domino, seruiat vt populo.*

*Publica sed quanto priuatis commoda, tanto*

*Prestat amore domus publicus vrbis amor.*

RENATVS BIRAGVS Franc. Cancell.

publicæ commoditati.

## AD GVILIELMITAS.

*Hic iacet immiti preceptus morte PAPINVS,*

*Quem primo genitum luget vterq; parens.*

*Piclo fuit, magnam sed dum venisset in urbem,*

*Cuius vbi ducta coniuge factus erat:*

*Protinus exarsit ciuili Galli bello,*

*Atq; ipsa in Regis plebs furiosa caput.*

*Hic dum Bourbonida sequitur pia principis arma,*

*Ante vrbis muros & patris ora cadit.*

Nate,

Nate, tibi inuideo, quod abis: ego duro superstes,  
 Debueram infelix qui tamen ire prior.  
 Tu me lugentem belli sub fasce relinquis,  
 Te que mihi, atque tuis subtrahis, & patria.  
 Heu! quàm dissimiles verso sumus ordine fati,  
 Vita mea est mihi mors; mors tua vita tibi.

IN COEMETERIO VVLGO DES  
 INNOCENS D. RVELLI I. C.

Quattuor hæc lacrymas certant aquare sepulcro,  
 Fama, & opes, virtus inclyta, vita breuis.  
 Sed pereunt gemina, Virtus, & Fama supersunt;  
 Vnde RVELLE tibi fit rediuuus honos.  
 Sed neutri facile est lacrymis pensare dolorem,  
 Quo patria, & ciues, cunctaque iura dolent.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX  
 S. DIONYSIACA.

IMperio CAROLVS CALVVS, regnoq; positus  
 Gallorum, iacet hæc sub breuitate situs.  
 Plurima cum villis, cum clauo, cumque corona  
 Ecclesia viuis huic dedit ille bona.  
 Multis ablati nobis fuit hæc reparator  
 Sequarij fluuij, Ruollijque dator.  
 Fut Roy de France en l'an 841. iusqu' à 849.

ALIVD.

Hic OCTAVE iaces Francorum CAROLE Regum,  
 Cui victa est forti Brittonis ora manu.  
 Parthenope illustrem tribuit captiuæ triumphum,  
 Claraque Bortromio pugna peracta solo.  
 Cepit

S. DIONYSIACA.

637

Cepit & Henricus, regno depulsus auito,  
Bellata auspicijs sceptrum Britannia tuis.  
O plures longinqua dies si fata dedissent,  
Te nullus toto maior in orbe foret!

Vixit an. 28. Obijt an. 1498. mens. April. d. 7.  
Opus Laganini Mutinensis.

IN DIVAM LODOICAM RE-  
GIS MATREM;

Alter a progenie felix Berecynthia mater  
Hoc Mausoleo Diua LOTSSA iacet.  
Franciscum Regem peperit, sceptrumq; dicit,  
Fortuna semper celsior ipsa sua.  
Fortiter ille acie pugnans cum sorte maligna,  
Seu fati invidia captus ab hoste foret:  
Regnum hæc tantisper sine turba & murmure rexit,  
Armis, consilio, iustitia atque fide.  
Dum postliminio regem, natosq; recepit,  
Et patrio plaudens restituit solio.  
Tandem inter Reges, sedando bella per orbem,  
Percussit pacis fœdera perpetua.  
Ferreæ mox domito cesserunt secula Marte,  
Atq; ætas Francis aurea sic redijt.  
Cedite quondam Asia Regina heroides, vna hæc  
Terrarum imperio digna LOTSSA fuit.  
At Franciscæ doles, quasi nil de matre super sit?  
Desine, nam extingui gloria tanta nequit.  
Officio in matrem si quis præcelluit olim,  
Primæ (vel Momo iudice) solus habes.  
Iamq; pia vmbra vale; inferias & iusta sepulcro  
Soluimus: at mente vota precesq; damus.

Sf

Mens

*Mens quippe aetherea Christo conregnat in arce  
Felix, & superum vescitur ambrosia. 1531.*

CARLOTAE VALESIAE, FRAN-  
cisci Francorum Regis natæ maximæ  
sepulchrum.

CARLOTA octavi metas properabat ad anni,  
Cum pro se lacrymas, liquit & hunc tumulum.  
Qua nihil hæc ætas præstantius indole vidit,  
Aut quo penderet certius auxilio.  
Tantum quippe inerat specimen virtutis amorq;  
Ut fessa ingenti secula leuasset ope.  
Ecce Deo visum secus est: qui limine in ipso  
Irrita, cum libuit, vota q;  
spemq; facit.

## IBIDEM.

Hoc oriens, illo virtus prouecta sepulchro  
Clauditur: hoc nata, matris at illud habet  
Ossa. breui tantam iacturam fecimus. heu  
Condidimus natam matris in exequiis!  
Illa decus, spes hæc orbis, duo sidera qua nunc  
Ante Dei meritis sedibus ora micant.  
Nos nostro interea premimur, Francisce, dolore  
Atq; tuo, heu nullis rebus habenda fides!

## MEMORIAE AETERNÆ

Optimi & mitissimi Principis CAROLI NONI,  
Regis Christianissimi: bonarum artium inge-  
niorumque fautoris liberalissimi, &  
fidei ac Religionis Catholicæ  
propugnatoris acer-  
rimi.

CARO

CAROLVS exspectat loculo Rex nouus in isto  
 Supremi clangat dum tuba iudicij.  
 Quem quicumq; bonus nouit, benè luxit acerbè  
 Extinctum, viuum deperijt tenere.  
 Leni ad eò fuit ingenio, leni bonitate,  
 Aspectui leni, lenior alloquio.  
 Aspera enim cum scuirent circum omnia in illum,  
 Confluxit lenis quidquid vbiq; fuit.  
 Nam puer ad sceptrum venit regale decennis,  
 Annos quod tredecim dimidiumq; tulit:  
 Continuis in proditionibus atq; periclis  
 Belli intestini, & iugibus insidijs,  
 Maiorum dum sacra pius fortisq; tuerur,  
 Nec pessum cultus ire pius patitur.  
 Hæreticos reprimens caeca ambitione rebelles;  
 Numinis oblitos, Principis, & patria,  
 Donec præcipiti fato tum desijt esse,  
 Heu quando potius debuit incipere!  
 At tu pro tanto vera pietatis amore,  
 Quæsa bone, & tanta pro bonitate, Deus,  
 Hunc facias numerum in cœlis augere bonorum,  
 Et sedem manes inter habere pios.

## ALIUD.

Bis septem totos bellum tibi iuge per annos,  
 Quos Rex vixisti Carole, penè fuit,  
 In desertores patria, teloq; rebelles,  
 Dum pro aris pugnas fortiter, hæreticos.  
 Sacrilegis quorum è manibus regnum asseruisti,  
 Ter varia raptum proditione tibi.  
 Verum hoc dum retegis scelus radicibus imis,



Supplicijsq; reos afficis emeritos;  
 Ecce nefas. prima moriens in flore iuuenta,  
 Manè velut cùm sol deficit exoriens.  
 Proh dolor, heu spes frustratas, & vota piorum,  
 Ante diem cursa deficis in medio.  
 Iustitia & pietate tuam fulcire coronam,  
 Nempe hoc, & duplex illa corona fuit.  
 Quae pro mortali semper durable cingit  
 In caelis capiti nunc diadema tuo.

Vixit annos **XXIII.** mens. **XI.** & dies **III.**  
 Regnavit annos **XIII.** menses **V.** dies  
**XXIV.** Obijt in arce Viceannatum **3.**  
 Cal. Iunij, anno 1570.

IBIDEM, SVB EFFIGIE REGIS  
 Dagoberti.

Fingitur hac specie bonitatis odore refertus  
 Istius Ecclesiae fundator Rex **DAGOBERTVS,**  
 Iustitia cultor, cunctis largus dator aris,  
 Affuit & sceleris ferus ac promptissimus ultor.  
 Armipotens bellator erat, velutiq; procella  
 Hostes confregit, populosq; per arma subegit.



**A M B I A N I.**

IN B. M A R I A E.

**F**raternam dum mente animam sequor astra  
 petentem,  
 Et cupio hac condi, qua tumulatur, humo:  
 Quod mea, quod nostra non tantum gloria gentis  
 Occidit, astra huius lausq; decusq; solis

Audijt